



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1689**

Problema XXXVII. Cur Diabolus inimicus homo dicatur? Dominica V. Post  
Epiphaniam. Inimicus homo hoc fecit. Matth. 13.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



# PROBLEMA XXXVII.

Cur Diabolus inimicus homo  
dicatur?

## DOMINICA V. POST EPI- PHANIAM.

*Inimicus homo hoc fecit.*  
Matth. 13.



Arabolam hodierni jam perlecti Evangelij ipse Dominus JESUS nobis explicuit, juxta sonum latini textus; Matth. 13. v. 38. *ager est mundus, bonum semen sunt filij Regni, Zizania autem filij sunt nequam, inimicus autem qui seminat, est diabolus.* Mirum valde (inquit Sylveira in consideratione explicationis parabolæ) quod per multum tempus, ager iste steterit patens & nunquam in illum ingressus sit inimicus homo, nisi modo postquam noster Sator bonum semem in illo diffudit, tunc super illum seu super triticum seminat.

**SI.**  
Diabolus  
dicitur  
inimicus  
homo quia  
homo ma-  
lus, Dæ-  
mon est.

*Superseminavit, non seminavit* (inquit ferm. 96. S. Petrus Chryso-  
logus) *quia hereses inter fideles, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes*

*nequitiam serere consuevit, non ut acquirat Zizanium; sed ut triticum perdat, non ut reos capiat, sed ut adimat innocentes, non ut obsideat mortuos, sed impugnet viuentes; quia quanto magis quis DEO seruire desiderat, tanto magis in se excitat aduersarios,* inquit S. Ambrosius, in psal. 118. & ego ante dies octo ostendi. Sed quare diabolus dicitur *inimicus homo?* Rationem dat S. Paschasius, lib. 7. in Matth. *quia bono semine jacto vidit per gratiam homines adoptatos in filios DEI, à quo decore & excellentia ipse ceciderat, propterea malignitatem machinatur. Inimicitias ponam inter te & mulierem,* Gen. 3. v. 15. quod autem homo dicatur, causa est: *quia sub similitudine rationis humane decipit:* Albertus M. *Diabolus dicitur homo* (inquit Hug.) *ab homine devicto, sicut Scipio Africanus ab Africa devicta.* Hominem inimicum ipsum diabolum, quia semper omnibus obesse conatur, merito ap-

pellavit

pellavit, ait S. Chrysoſt. hom. 47. in Matth. Cūm diabolus homo non fit (Sylveira ſuprà) homo tamē appellatur hoc loco, ut aptius ejus furor exprimat, cūm nullus major inveniat, quā hominis in hominem. Ergōne malus homo dæmon? ita eſt, oſtendam imō quod Auctor imperfeſti operis hom. 24. probat, Homo mal' pejor eſt, quā ipſe diabolus. Faxit DEUS, ut in potenti ejus digito unum ſaltem dæmonium in præſens ejiciam.

§ 2.  
Christus  
malum ho-  
minem vo-  
cat Dæ-  
monem:

Incarnata Sapientia quæ, teſte S. Joanne, cap. 2. v. 25. ſciebat quid eſſet in homine: videns perverſam intentionem, quæ erat in Juda perfido diſcipulo, qui Magiſtri amantiffimi traditionem machinabatur, videns ſcelus, quod ſucceſſu temporis patraturus erat, prædicens ad omnes ſimul congregatos ait: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt? dicebat autem Judam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum.* Joan. 6. v. 71. Ecce æterna Veritas, quæ nec fallere, nec falli poteſt, hominem malum, qualis erat Judas, diabolum vocat. Nec immeritò: ſicut enim teſte S. Paulo 1. Cor. 6. v. 17. *qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt cum eo;* ita qui adhæret diabolo, quod per malitiam gravis peccati fit, unus ſpiritus, verbo, diabolus eſt cum eo. Eandem quoque Veritatem aſſerit S. Bernardus ſerm. de S. Benedicte. *Transgreſſor præcepti Dominici ſpurios ſibi ſociat ſpiritus, & adherendo eis unus cum eis efficitur dæmon.* Bernardo concordat S. Bernardinus: T. I. ſerm. 31. a. 1. c. 2. *Omnis peccator filius diaboli eſt.* Quod Chriſtus Joan. 8. v. 44. de Judæis mortem ſi-

bi machinantibus dixit: *Vos ex Patre diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis facere.* Hoc Bernardinus genericè dicit de omni malo & peccatore homine, ſiquidem Judæis ſimiles ſunt peccatores quovis gravi malo *rurſum crucifigentes ſibi metiſis filium DEI.* Hebr. 6. v. 6. & conſequenter filij diaboli.

Ut autem Veritatem hanc profundius intelligamus, quod peccatores ſpiritualiter à dæmone velut filij illius generentur, revocandus eſt in memoriā textus ille Joannis; epiſt. 1. Joan. 3. v. 8. ubi dicit: *qui facit peccatum, ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat, omnis, qui natus eſt ex DEO, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet. In hoc maniſeſti ſunt filij DEI & filij diaboli, omnis, qui non eſt juſtus, non eſt ex DEO.* quæ verba I. yranus ſic exponit: ſcilicet quod hi non peccent mortaliter, alij vero ſiant filij diaboli propter operationem peccati. S. P. Auguſtinus ait: *Tract. 4. in Joannem: Neminem fecit diabolus, neminem genuit, ſed quicumque fuerit imitatus diabolum, quaſi de illo natus eſt filius diaboli imitando, non propriè naſcendo.* Cui concordat Dionyſius Carthuſianus de peccatore ſic loquens *Ex diabolo eſt, non animam ab illo habendo, ſed ejus pravitatem ſequendo, aut ejus tentationi conſentiendo, pertinendo quoque ad eum, tanquam ejus membrum atque mancipium.* Alcuinus quaſt. 75. ingenioſè quaerit in illa Verba Gen. 3. v. 14. à DEO ſerpenti diſta: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius,* de quo ſemine, vel de qua inimicitia DEUS loquatur? Ipſeque ſibi reſpondet: *Semen mulieris eſt*

est totum genus humanum, semen serpentis originalis peccati primordium: quæ duo semina ex præcepto divino continuum inter se gerere odium debent, ut non faciamus, quæ diabolus vult, quia ille nunquam vult nobis profutura.

§ 3.  
mali ser-  
pentis &  
consequen-  
ter Diabo-  
li semen.

Semen igitur serpentis infernalis venenum est peccati, per quod producit & generat suos filios, id est, impios peccatores. *Sicut per serpentem diabolus, ita & per semen serpentis omnes iniqui & maligni homines ejus imitatores rectè intelliguntur*, inquit Rupertus, Abbat. tom. 2. L. 2. c. 12. de Victoria Verbi. licet enim neminem genuerit, aut creaverit ille; nam si iniqui & impij homines serpentis, id est diaboli semen non essent, nequaquam diceret Dominus Judæis: desideria Patris vestri vultis facere. In revelationibus S. Brigittæ L. 1. c. 4. dicitur: anima vitiosa, est quasi uxor diaboli, quæ tunc concipit ex diabolo, quando peccatum placet ei, sicut enim Mater ex modico semine, quod non est, nisi putredo, concipit, sic & anima, cum delectatur in peccato, facit magnum fructum diabolo. Rectè S. Ambrosius. Omne peccatum semen inimici est. Quænam causa, quod Christus nos docuerit, ut in oratione Dominica Matth. 6. suum æternum Patrem etiam nostrum vocaremus? Cum oratis, dicite: *Pater noster qui es in cælis*. Ideo quia naturalis Pater noster corporalis, qui nos in terris genuit, solum nobis corpus dedit animam verò, in qua præcipua consistit hominis essentia, DEUS creavit. Unde 2. Mach. 7. v. 22. magna illa septem filiorum Machabæorum Mater ad invitam illos hortans patientiam ait: *Neque ego spiritum & animam dona-*

*vi vobis, sed mundi creator*. Jam, quia peccator in prædam cedit diabolo cum anima & corpore, merito illius Pater dæmon, ille dæmonius filius potest vocari, & quemadmodum Pater in filio suo bono suam, sic diabolus in malo in peccatore ut filio suam habet complacentiam. Æternus Pater, quam complacentiam in Christo filio suo habuerit, bis Matth. 4. & Matth. 17. lapsis de cælo verbis testatus est, in monte Thabor, atque ad Jordanem dicens: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Vultis autem scire, quam complacentiam tanquam in filio Pater habeat Diabolus? Bedam audite in illa Lucæ 11. *Cum immundus spiritus exierit ab homine &c. quærit requiem &c. Bene dicitur? quære requiem, & non inveniens, quia justas mentes effugiens, in solo Diabolus corde prævarum, gratam sibi potest invenire quietem*. In eundem textum Lucas Burgenfis explanans verba; *scopis mundatam ait: intelligi animam peccatricem DEI gratiâ destitutam: qui vacui sunt spiritu DEI, ait, ij ad recipiendum Diabolum parati sunt, cujus summæ deliciæ sunt inanitas illa; quæ DEI gratiæ neglectum sequitur*. Mystica illa Jobi de Beemoth (figura dæmonis) loquentis verba: *sub umbra dormit*, Job. 40. Mystica inquam, si enim dæmon, ut Scriptura & Patres afferunt, semper vigilat in nostrum interitum, nec unquam sinè infernali igne est, qui potest dici dormire? Audiamus Bedam L. 5. in Job, diaboli somnum interpretantem: *Aliquando Umbræ peccata esse referuntur, quæ tanquam Umbræ corpori, ita morti vicina sunt, in peccatis ergo diabolus habitat, & requiescit*.

Porro

§ 4.  
Peccatum  
facit pec-  
catorem  
parem  
diabolo.

Porro verissimum esse, quod peccatum peccatorem unum idemque faciat cum dæmone, magis confirmabitur, si consideremus id, quod DEUS serpenti post prævaricationem protoparentis dixit: *Terram comedes*. Sed dicet aliquis: Sathan est purus spiritus, cur igitur terra illi in nutrimentum assignatur? pro resolutione notandum, quod DEUS homini post peccatum dixerit: *pulvis es*. Hæc enim maledicta terra, quæ peccatorum spinas & tribulos germinat, nos ipsi sumus. Unde S. Augustinus 3. Tract. de agone Christi c. 1. dicit. *Dicitur est peccatori: Terra es &c. datus est ergo in cibum diabolo peccator, non simus terra, si nolumus manducari à serpente. Sicut enim quod manducamus in nostrum corpus convertimus, ut cibus secundum corporis qualitatem homo efficiatur, quod nos sumus, sic malis moribus per nequitiam, superbiam, & iniquitatem homo efficitur quique quod diabolus est; & hoc est, quod dicitur manducari à serpente.* S. Gregorius in 4. psalmum pœnitentialem supra nominata verba exponens sic ait: *Antiquus hostis terram comedit, quia peccatores quosque in ventrem suæ malitiæ abscondit.* S. Chrysostomus hom. 28. ad Rom. ait: *Pascunt dæmones, qui corporum vitijs saginantur & sordibus, quia sicut qui se Domino jungit, unus spiritus est; ita qui se jungit Diabolo, est dæmon unus.* Et quemadmodum homo comestum cibum in suam humanam, sic Diabolus peccatorem in suam, id est, Diabolicam substantiam convertit. Et Dionysius Carthusianus Opusculo de enormitate peccati art. 18. *Peccatum de membro Christi facit membrum Diaboli, siquidem per charitatem Christo incorpo-*

E e

*ramur; sed per peccatum mortale Christum perdendo incorporamur Diabolo.* Unde sæpius viri sancti, qualem describit Paulum simplicem Abbatem Bollandus, 7. Martij. pag. 647. col. 1. graves peccatores non in forma hominis sed horridi dæmonis viderunt.

Probatum ergo est quod dæmon quidem inimicus homo vocetur, eò quod malus homo inimico humani generis Dæmoni sit similis, quod incarnatus dæmon sit. Quod autem homo malus peior sit dæmone, ut ex Autore imperfecti opus supra dixi, ex verbis æternæ Veritatis probare possum. Matth. 10. v. 16. dixit discipulis: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum, paulò post v. 17. monet. Cavete ab hominibus.* Ad consequentiam sermonis videbatur dicendum: *Cavete à lupis.* Cur hoc? lupus in Scriptura Diabolum significat, quod homines cavere moneat, indicat malum peiorem ipso dæmone esse. Sancti Chrysostomi hom. 24. in imperf. hæc est sententia: *Ideo dixit: attendite vobis ab hominibus, quasi à quibusdam pessimis malis, & super omnia mala malis.* Diabolus malum dicitur, ideo oramus: *Libera nos à malo;* non uno sed omni, id est, Diabolo & malo homine, quia peior dæmone est. *Diabolus enim (verba sunt Sancti) si videt justum, non ausus est ad eum accedere, homo autem malus, quamvis hominem sanctum, non solum illum non timet, sed magis contemnit; non enim Diabolus homini præstat Virtutem, sed homo Diabolo. Arma enim Diaboli est malus homo. Sicut enim homo sine armis nihil potest facere contra hostem, sic & diabolus sine homine non valet a-*

E e 2

liquid

§ 5.  
Peccator  
peior est  
dæmone.

liquid contra sanctos. Quod confirmat Albertus Magnus ex illo Joannis 13. v. 2. *Cum Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes. Cur suppetias? Hoc enim per semetipsum facere non potuit. Hæc est hora vestra* &c. Luc. 22. v. 52. Et ita notat D. Gaudentius Brixienſis præfat. Tract. in Exod. quod Diabolus tanquam validissimum suum telum contra Job, Mulierem ad ultimum reservaverit, ut mediante muliere hoc efficeret dæmon, quod se ipso non poterat. De utroque audiatur D. Zeno in psal. 128. *Cum Diabolus tentando Job potestatem postulasset, per direptionem substantiæ ejus primum deserviturus, homines ad pastorum cædes & direptionem pecudum excitavit, eosque in hanc voluntatem latrocinij accendit. Egredere ergo, quod volebat, per humanæ operationis officium. Judas quoque in passione Domini ministerium Diaboli fuit, & per eum effectum voluntatis propriæ excitavit, Evangelistâ testante, qui ait: Intra vit satanas in Judam. In omni igitur, quam perpetimur injuriâ alterius opus, alterius instinctus est, & non sibi sufficit. Hanc Diaboli majorem humanâ malitiam expertus est pius David: 1. Reg. 18. nam cum spiritus malus torqueret Saul, David manu pulsante citharam, fugiebat spiritus malus & tamen sævitia inclusa manebat in Saul: tenebat Saul lanceam & misit eam, putans, quod configere posset David cum pariete. Mira res? Davidis cantu expellitur tyrannis Diaboli, & tamen rabies & ira homi-*

nis non quiescit. *O novum exclamat Basilius Seleucus orat. 16. injuriumque facinus, dæmon pellitur, & dæmone liberatus arma capiebat! dæmon vincebatur, homo plus sumebat audaciæ!* Ecce quî malus homo malo dæmone pejor fit. Et hæc causa fuit, quod David postea, cum propter peccatum puniendus esset, vel per manus Angelorum, ignorans, an ille sit bonus, an malus dæmon, ut fieri potuisset, docet Abulensis, q. 35. in 2. Reg. c. 24. & factum esse Doctores asserunt psal. 77. n. 49. Exodi. 12. vel per homines, optione sibi à DEO per Prophetam Gad datâ cum multum dubius hæreret, ac diceret: Coarctor nimis &c. se resolverit tandem melius est incidere in manus Domini, (multæ enim misericordiæ ejus sunt, quàm in manus hominum. In fame & bello homines executores DEI sunt; In peste solus DEUS & Angeli. Renuit ergo David (inquit Sylveria L. 5. c. 27. q. 7.) supplicium, in quo agnoscebat homines executores, & elegit illud, in quo videbat Angelos percussores, estò fieri posset, quod mali essent; plus enim nocementi ab hominibus, quàm Angelis etiam malis sibi metuebat. Quia DEUS & Angeli misericordes, immisericors homo malus, verbo. *Homo malus pejor est, quàm ipse Diabolus*, Non solum ut inimicus hominis, sed ut inimicus DEI, ut peccator. Diabolus enim semel tantum peccavit, uno, ut passim, superbiæ peccato; malus homo forsitan millies, & nec non solum peccato superbiæ, sed & iræ,

&amp; in-

& invidiæ, & luxuriæ, &c. pejor  
 diabolo; quia pro illo filius DEI pas-  
 sus non est, nec veniæ occasionem,  
 nec tempus dedit; peccatores, verò  
 pro quibus passus, quibus occasio  
 optima pœnitendi data, spernentes  
 hæc omnia, filij profectò diaboli in  
 manifesto periculo sunt, nè illis hoc  
 ipsum aliquando eveniat, quod Pa-  
 tri eorum. Veniet tempus messis,  
 quo filij DEI, semen bonum sancti  
 & beati instar tritici congregabuntur  
 in DEI horrea, illi autem filij Diabo-  
 li & semen & Zizania collecta ad  
 comburendum in ignem æternum  
 proijcientur. Felix qui cum S. Ig-  
 natio Martyre verè dicere poterit:  
*frumentum Christi sum.*

